



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hunoldi Plettenbergi[i] E Societate Jesu Introductio Ad Jus Canonicum

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1692

Caput VI. Differentia Juris Canonici & Civilis, quæ libro I. Decretalium
occurrunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62983)

Verum Clericis & Religiosis non solum scire convenit, quæ per ipsos agenda sunt, sed in quibus etiam alios, qui causas forenses tractant, qua verbis, qua scriptis dirigere, & in sacro tribunali de eorum actis recte judicare possint. Præterquam quod multi Ordines Regulares jurisdictionem quoque habeant in foro externo, quam sine notitia Canonum, eorum vel maxime qui concernunt forum contentiosum, non æque bene exercere possunt. *Passer, de stat. & off. hom. q. 187. n. 1135.* Notat tamen Engel in *Proæm. de Jur. Can. n. 19.* ad majorem cautelam solere Universitate à S. Pontifice privilegium petere admittendi Clericos ad publicas legum Civilium lectiones, quale concessum esse ait Universitati Salisburgensi.

CAPUT VI.

Differentiæ Juris Canonici & Civilis, quæ Libro primo Decretalium occurrunt.

Um Jus Canonicum, ut vidimus capite præcedente diversum principium, aliam materiam aliumque finem sibi prestitutum habeat, quam Jus civile, permultæ utriusque
Juris

Juris differentia oriuntur, quas nonnulli auctores non inutili labore con-gesserunt, & commentariis suis expli-carunt, è quibus nos magis notatu di-gnas secundum ordinem Librorum & Titulorum Decretalium proponendas hic duximus, ut Juris utriusque Studiosi uno quasi obtutu videant, in quibus Jus Civile correctum sit à Canonico, & quæ leges Civiles è foro Ecclesiastico elimen-tur.

Tit. III.

1. Rescriptum Papæ seu Principis non extendit se ultra unam Diætam. *c. 11. de Rescrip. in 6.* Quod nulla lege Imperiali præscriptum reperitur. *Barb. in cit. c. 11.*

2. In quovis rescripto Papæ ad in-stantiam impetrantis concessio sub intel-ligi debet, licet non exprimatur, clausulas *Si preces veritate nitantur. c. 2. de Re-script.* Hæc vero jure civili expresse ap-ponenda est. *l. fin. C. de diver. rescrip.*

3. Rescriptum Papæ quod manife-stum in constructione errorem continet, invalidum est Jure Canonico *c. 11. de Re-script.* Non vero Rescriptum Imperato-ris juxta Jus Civile. *Bapt. à S. Blasio. n. 700.*

Tit. IV.

4. Per Jus civile Consuetudini ab-soluta

soluta tribuitur potentia abrogandi legem §. penult. *Inst. de jur. nat. & l. de quibus 33. in fin. ff. de leg.* Etiam generalem, si Consuetudo generalis sit, specialem vero, si sit specialis *Glos. in cit. §. penult. l. venditor ff. communia prædiorum*, non tamen divinam & naturalem §. *Sed naturalia Instit. de jur. nat.* Jure verò Canonico tribuitur vis mutandi & abrogandi leges positivas consuetudini solum rationabili & legitime præscriptæ. *c. fin. de Consued.*

Tit. VI.

5. Jure civili Eligentes Abbatem jurare debent se electuros, quem sciunt idoneum. *Auth de sanctis. Episc. c. 34. §. jubemus igitur.* Jure vero Canonico hoc juramentum non requiritur sed alia triplex forma præscribitur. *c. 42. de Elect.*

Tit. VIII.

6. Juxta Canones Archi-Episcopus cum Pallio sepeliendus est. *c. 2. de auct. & usu pallii.* Ne alii illo abutantur. At jure civili nulla sunt ornamenta cum corporibus sepulchro inferenda. *l. si quis §. non autem ff. de Relig. & sump. fun.* ne furibus detur ansa sepulchra spoliandi, vel videantur cum infidelibus credere mortuos victu, vestitu aliave re materiali indigere. *Auban. de mor. gent. l. 2. c. 10. de Tartaris.*

Tit.

Tit. XIV.

7. Jure civili ordo sacer præter dignitatem Episcopalem non liberat à patria potestate quo ad temporalia. *Auth. Episcopalis C. de Episc. & Cler.* Jure vero Canonico quilibet ordo sacer liberat. *c. 3. de ætat. & qualit.* De Episcopali dignitate constat ex *cap. 20. dist. 54.* Et cum dignitas patritiatus solvat jus patriæ potestatis, multo magis id faciet Sacerdotium & quilibet ordo sacer. *Glos. in cit. c. 3. v. qui seipsos.*

8. Jure civili olim permittebatur consuetudo accipiendi certam pecuniæ summam pro collatione sacrorum Ordinum *Auth. de Sanctis. Episc. c. 3. Si quis autem.* At jure Canonico nec Episcopo, nec Tabellioni quicquam accipere licet. *c. 4. cau. 1. q. 2. Trid. Sess. 21. c. 1. de reform.*

Tit. XVI.

9. Jure civili Rebaptizans & Rebaptizatus, sitamen piacularis criminis capax sit capite plectitur. *l. 2. C. Ne Sanct. Bapt. iter.* Secundum Canones vero pœna Rebaptizantis scienter, vel per ignorantiam juris, est irregularitas; Si autem per ignorantiam facti Rebaptizarit excusari potest. Rebaptizatus vero licet ignoraverit se Baptizatum sit irregularis, nec promoveri potest. *c. Qui bis*
de

de Conf. dist. 4. n. 1. Si magna necessitas cogat; Si vero sciverit se baptizatum, & ex vitio aliquo Rebaptizetur, per septem annos pœniteat, quarta & sexta feria & tres quadragesimas jejUNET; Si autem putaverit se magis mundari tribus annis pœniteat. *In c. Eos de consecr. dist. 4.* præcipitur, ut ex industria Rebaptizati usque ad finem vitæ in pœnitentia jaceant, nec orationi fidelium intersint. *Sylvester V. irregularitas.*

Tit. XVII.

10. Jure Canonico nati ex damnato coitu non possunt eligi ad Prælationes aut Dignitates. *c. 1. de fil. Presb.* Possunt vero jure civili. *l. Spurii ff. de Decur. l. generaliter §. Spurios quoque eod.*

Tit. XVIII.

11. Jure Canonico servus non tenetur præferre charitatem erga Dominum suum charitati propriæ. *c. Humanum Dist. 1.* Secus est jure civili. *l. 1. ff. ad S. C. Silanianum.* Hæc vero dissonantia tollitur, si intelligantur hæc de debito gratitudinis erga Dominum, vel obligatione spontanea.

12. Jure Canonico in libertis Ecclesiæ multa specialia servantur. *c. de famulis Eccl. de Servis non ordin.* Quæ in jure civili non reperiuntur. *l. 38. ff. de oper. libert.*

Tit.

Tit. XXIX.

13. Jure Canonico delegari possunt, quæ sunt meri & mixti Imperii *c. Quod sedem de offic. Jud. Ordin. c. In Archi-Episcopatu de Raptoribus.* Non vero jure civili. *l. 1. de offic. ejus cui mand. est jurisd. l. Imperium ff. de Jurisd. omn. Jud.*

14. Secundum leges per solam litis contestationem perpetuatur Jurisdictio Delegati *l. & quia ff. de jur. omn. Jud.* Secundum Canones sufficit citatio, vel rescriptum. *c. Gratium de offic. Deleg. c. Licet eod.*

15. Jure Canonico licet prorogari possit Jurisdictio Judicis ordinarii de persona in personam, non vero Jurisdictio Delegati. *c. P. & G. de offic. Deleg. Jure civili vero etiam Judicis Delegati jurisdictio prorogari potest. l. 1. & 2. ff. de Judicis.*

16. Jure Canonico causa civilis etiam ardua, ut est trecentorum aureorum delegari potest absque alia justa causa dummodo Judex non querat exonerare se malitiosè. *c. Pastoralis de offic. Delegati. Quod fieri non potest jure civili. l. Placet etiam Judic. C. de pedaneis Jud.*

17. Delegatio jure civili etiam privato committi potest. *l. unic. Qui pro Jurisd. l. Prætor ff. de Jurisd.* Id vero non so-

D

let

let Jure Canonico. *c. Statutum de Rescrip. in 6.* Puta si delegatio fiat à Papa, vel ipsius Legato; Nam Episcopus delegare potest simplicem Clericum sibi subiectum. *Alex. in Rubr. de offic. ejus cui mand. est Jurisd.*

18. Jure Canonico Judex appellationis potest delegare causam appellationis retenta sibi praelatione sententiæ. *c. super questionem 27. de offic. Deleg.* Non vero Jure civili. *Auth. Ad hæc C. de Judic.*

19. Secundum Canones Judex ordinarius cuique committere potest audientiam causarum. *c. Pastoralis 28. de offic. Deleg.* Secundum leges vero tantum Consiliariis suis seu Assessoribus Judicii. *Auth. Ad hæc C. de jud. §. Cætera licet.*

20. Jure Canonico potest quis alteri delegare, quod non potest per se exercere. *c. Clerici Ne Cler. vel Monach. c. Sententiam eod.* Secus jure civili. *l. 1. §. Qui mandatum ff. de offic. ejus cui mand. est Jurisd.*

21. Jure civili Delegatus non exequitur sententiam suam *l. A divo ff. de re jud.* intellige de Delegato non ab ipso Principe, sed ab inferiore. *l. propevandam §. Sin autem junct. Glos. C. de Judiciis.* Nec potest quempiam in possessionem mittere. Jure vero Canonico hæc fieri possunt. *c. Suspicionis de offic. Deleg. c. Si quis de for. Comp.*

22. Jure

22. Jure civili quando causam alicui Delegatus committit, ad eum est appellandum. *l. un. C. qui pro sua jurisd.* At Jure Canonico id non fit, quando tota causa committitur alteri à Delegato. *c. Super quæstionum de offic. Deleg.*

Tit. XXXI.

23. Jure Canonico Episcopus in omni loco Diœcesis judicia exercere potest. *c. Cum Episcopus de offic. Ord. in 6.* At Jure civili Judex ordinarius id potest solum in loco majorum suorum. *l. pen. ff. de just. & jur.*

24. Jure civili Legati seu Præsides Principum, cum mittuntur ad Provincias, vivere debent de rebus Fisci vel Imperatoris. *Auth. ut nulli judicum.* Jure Canonico vero missi à Papa suscipi & ali debent à Provinciis ad quas mittuntur; Nam procuratio illis debetur. *c. Accedentes de præscript. c. Super eo de Cens. Trid. Sess. 24. c. 3. de Reform.*

Tit. XXXV.

25. Jure Canonico pactum nudum obligationem & actionem parit. *c. 1. & 2. de pact. Non vero Jure civili. l. Iuris gentium ff. de pact. l. Legem C. eod.*

26. Jure Canonico alter alteri stipulari potest. *c. Quoties oculus cordis. 1. q. 7. & arg. c. jaramenti 22. q. 4.* Non vero Jure

52 *Differentia Juris Civilis*

civili saltem regulariter *l. Stipulatio ita §. alteri ff. de verb. oblig. & Instit. de inutil. stipul. §. Si quis alii.*

27. In Jure Canonico non habet locum pœnitentia in contractibus innominatis. *Gios. in c. Cum inter de Elect. c. 1. & 3. de pact.* Habet tamen Jure civili. *l. Si pecuniam de condict. causa data.*

28. Jure Canonico valet pactum juratum de non succedendo in hæreditate recipientis pactum. *c. 2. de pact. in 6.* Secus jure civili *l. pactum C. de Collatio.*

Tit. XXXVI.

29. Jure civili permittitur transigere de criminibus inferentibus pœnam sanguinis, excepto adulterio; De aliis non licet transigere excepto crimine falsi. *l. transigere c. de Transact.* Sed Jure Canonico non licet in causa Spirituali desistere. *c. fin. de rescript. & c. fin. 2. q. 3. §. in omnibus.* Nec de ulla re spirituali vel illi annexis interveniente aliquo temporali transigere licet. *c. præterea c. Constitutus. c. Super eo. c. fin. de transact.*

Tit. XXXVIII.

30. Jure Canonico Prælati Ecclesiasticus potest Procuratorem constituere in causa Ecclesiæ suæ etiam ante litis contestationem *c. Petitio de Procur.* Jure civili non potest, nisi post litem contestatam

statam ad instar Tutoris vel Curatoris.
l. Neque Tutores C. eod. c. Edoceri de Rescrip.

31. Jure Canonico mulier esse potest Procuratrix. *c. Cum dilectæ de conf. utilit. vel inut.* Jure civili non potest. *l. cum Prator ff. de judic.*

32. Jure Canonico infamis esse non potest Procurator. *c. Imperatorum de juram. calum.* Jure civili potest §. ult. *Inst. de except.*

Tit. XL1.

33. Jure Canonico Ecclesia contra præscriptionem non restituitur. *c. Auditis de in integ. restit.* At Jure civili restituitur intra quadriennium à tempore completæ præscriptionis. *l. fin. C. de Sacros. Eccl.*

34. Jure Canonico Ecclesia in integrum restitui potest, etiam in præjudicium Laici: Idque coram Judice Ecclesiastico. *c. Causa restitutionis de in integ restit.* Jure civili autem semper adeundus est Judex illius, de cujus præjudicio agitur, etiamsi Ecclesia sit, quæ restitutionem petit. *l. 2. C. ubi & apud quem cogn: in int.*

35. Jure Canonico Ecclesia petere potest etiam post quadriennium in integrum restitutionem pro damno. *Glos. in c. 1. de rest. in intg.* Jure civili autem non

reperitur concedi ultra quadriennium.
l. fin. C. de temp. in integ. rest. petend.

36. Jure Canonico in petenda restitutione in integrum per Procuratorem sufficit mandatum speciale, nec requiritur specialissimum. *c. Coram de restit. in integ.* Jure civili autem requiritur specialissimum, nimirum in tali causa contra talem DD. in *l. un. C. Etiam per Proc. caus. in integ.*

Tit. XLII.

37. Omnis cessio per Clericum in laico judicio Jure Canonico præsumitur simulata. *c. Ex parte de alien. Jud. mut. causa facta.* Secus est Jure civili, nisi aliter probetur de fraude vel simulatione. *l. per diversas. l. Ab Anastasio. C. Mandati.*

38. Jure Canonico singularis Successor, in quem facta est alienatio judicii mutandi causa conveniri potest coram Delegato ex rescripto impetrato contra alienantem tantum conscio & particeps fraudis, Successore. *c. I. de alien. Jud. mut. caus.* At jure civili talis Successor coram suo tantum Judice, & non coram Delegato conveniri potest. *l. I. C. eod.*

Tit. XLIII.

39. Jure Canonico permissum est cum juramento compromittere. *c. Cum tem-*

tempore *c. Ex parte de Arbit.* Non vero jure civili. *Auth. Decernit jus novum, C. de Recept. Arbit.*

40. Jure Canonico valet compromissum in Judicem ut Arbitrum à partibus electum. *c. Cum tempore de Arbit.* Secus jure civili. *l. Sed si in servum §. Si quis Judex ff. de Rec. Arbit.*

41. Jure Canonico foemina potest esse arbitra. *c. Dilecti filii. De arbit.* Non vero jure civili. *l. Pedius 7. ff. de Rec. Arbit. l. fin. C. eod.*

42. Jure civili arbiter, qui cognovit de causa suspicionis illa probata cognoscit etiam de principali. *l. fin. C. de Jud.* Non ita jure Canonico: *c. Suspicionis de offic. Jud. deleg. c. Cum dilectus de Arbit.*

43. Jure Canonico ex tribus arbitris uno absente requisito, alii duo procedunt, & valet sententia eorum. *c. fin. de arbit. in 6.* Secus jure civili. *l. 17. §. Celsus ff. de Rec. arbit.*

44. Jure Canonico sententia arbitri indistinctè per partes approbari potest & debet. *c. Per tuas 9. de Arb.* Jure civili tantum quando compromissum fuit stipulatione confirmatum cum poena adjecta. *l. 2. ff. de Rec. arbit. l. cum antea C. eodem.*

CA-